





44

Handwritten text on the right edge of the page, partially visible.



angeb. 29

*Disputatio tricesima octava*

# DE DONATIO- NIBVS.

*Ex lib. 39. Pand. tit. 5. 6. lib. 24. Pand. tit. 1.  
Inst. lib. 2. tit. 7. Cod. 8. tit. 54. &c.*

IN INCLVTA ARGENTORA-  
TENSIVM ACADEMIA EXERCITII  
causa proposita

Præside

CLARISSIMO CONSVLTIS-  
SIMOQVE VIRO, DN. PAVLO GRA-  
SECCIO I. V. D. & Professore  
Ordinario:

à

*M. PHILIPPO REINHARDO  
Francofurtano.*



*22. Julij. Sa  
3 pomerit: 4*

Argentorati, excudebat Antonius Bertramus  
M. D. xcv.





Nobilissimis Amplissimisq;  
VIRIS:

*HIERONYMO à GLAVBURG  
IOANNI à MELEM*

INCLVTAE REIPVB. FRAN-  
COEVRDIANÆ SCABINIS  
Prudentissimis,

L. L. M.

PHILIPPVS REINHARDVS FRANCO-  
furtanus dedico con-  
secroq;

*Handwritten notes in cursive script, partially obscured and difficult to decipher.*



## Thesis Prima.

**D**onationes, si perfectæ sunt, Prator suo iure tuetur, velut Continuum iustum acquirendi modum, l. 3. D. de obl. & act. Merito er- atio.  
go inter iudicia Pratoria hic tractatus.

2 Donatio Varroni lib. 4. de Ling. Lat. dicitur à Siculo Etymon.  
nomine *Δωσις*. Ita enim volgò habet. Reponit tamen Ma-  
gnus Scaliger in Coniect. suis *Δωσις*.

3 Paulus à dono donationem ducit & donum à Græco *δωρον*. 35. S. 1. D. Coniectus  
de mort. ca. don. Vnde quidam ibi legunt: pro dono *Δωρον* Huic rei Festus: ra.  
Donum ex Græco est, quod illi vocant *Δωρον*.

4 Idem ex Vitruvii lib. 2. cap. 3. & Plin. lib. 35. cap. 14. Planum est:  
ubi scribunt, Græcos palmum *Δωρον* appellasse: & munerum dationem  
*Δωρον* quia manu darentur. Ita erant donatice coronæ, & hastæ: istis  
victores in ludis donabantur: hæ dabantur militibus ob virtutem. Festus.

5 Definimus donationem in genere, quod sit actus quo res aliqua simpli- Definitio.  
citer & absolute, vel relative donandi animo in alterum confertur. Dn.  
Obrecht: de donat.

6 Num verò donatio contractus sit, quaritur? Et tum demùm contra- Questio.  
ctus naturam habere dicimus cum stipulatione firmata est: aliàs enim vel  
acquisitionem naturalem, cum traditio intervenit: vel civilem, cum  
nexu aut mancipatione facta est: vel pollicitationem, vel nudum quãdoq;  
legitimum tamen pactum esse putamus.

7 Frustrà ergò sunt isti, qui donationem iam proprie, iam improprie, iam Questio.  
bonæ fidei, iam stricti iuris, iam nominatum iam innominatum contractum  
esse opinantur.

8 Diuidi potest donatio in simplicem & relatam. Ista vera & absoluta Diuisio.  
dicitur donatio & directa. l. 35. S. sed non. D. de mort. ca. don. l. 25. C. de  
don.

9 Hæc à Iuliano non proprie donatio vocatur l. 1. in pr. h. t.

10 Simplex donatio est actus, quo res aliqua nullo iure cogente propter Simplex  
meram liberalitatem & munificentiam à donatore in alterum confertur. donatio.  
Dn. Obrechtus.

11 Causa Efficiens donationis est duplex: remota vel propinqua. Causa ef-

12 Remota est partim ius gentium, & partim ius civile. Ius gentium est, ficiens.  
si accedat traditio. Naturalis enim acquirendi modus est donatio simplex, Remota  
si quis



si quis donat & statim tradit. Ciuile ius est, si non traditione, sed verbalis promissione fit, & obligationem parit: puta vel pollicitatione, vel stipulatione, vel nudo etiam pacto lege firmato. l. 19. D. h. tit. l. 2. 17. 33. & seq. D. Eod. l. 35. §. sed siquidem, C. d. tit.

Propin-  
qua.

13 Propinqua est consensus donantis & donatarij: Mens enim dantis & accipientis donationem constituit. l. 15. S. Papinianus. D. locati.

14 Donantis consensus requiritur: quia nisi hic adsit, nulla liberalitas exerceri potest.

15 Pulchrè Aristoteles lib. 4. Eth. cap. 1. ὁ ἐλευθέριος δίδωσι τὸ καλὸν ἔνεκα καὶ ὀρθῶς. Οἷς γὰρ δεῖ καὶ αἰὶ ὄσα καὶ ὅτι, καὶ ἄλλα ὄσα ἐπεὶ αἱ τῆ ὀρθῆ δόσει. Καὶ ταῦτα ἰδέως καὶ ἀλύπως,

16 Atq; ideo nec ignorans, nec inuitus rectè donat. l. 10. C. de donat.

De perso-  
nis quæ  
deprocur.

17 Donare verò omnes possunt, qui non prohibentur. arg. l. 43. S. 1. D.

donare pos-  
sunt, quæ  
non pos-  
sunt.

18 At prohibentur alij naturâ: alij casu: alij lege.

19 Natura prohibentur infantes: muti & surdi nati: Isti προαιρέσει: hō organo, quo ἐνέργεια & actus secundus intellectus explicatur, destituuntur: atq; propterea non poterunt ὀρθῶς, vt Aristoteles loquitur, donare.

Dubium. 20 Cæcus tamen si iudici & atate valet rectè donat. Quod de sene quoq; eodem modo dicimus. l. 16. C. de donat.

21 Casu prohibentur furiosi, mente capti. l. 10. S. 1. D. de curat. fur. l. 23. in fi. de donat.

22 Lege partim ij qui sui iuris sunt, partim qui alieni.

23 Sui iuris, vt tutor, curator, administrator, Procurator. Priores tres simpliciter donare non possunt. l. 6. C. de adm. rer. ciu. l. 2. S. ius Reip. D. eo tit.

24 Procurator verò donare potest, si hoc ei sit mandatum. l. 9. S. pe. D. de donat.

25 Pupilli donare non possunt: quia nec firmum iudicium, nec liberam suarum rerum administrationem habent. l. 11. D. de adq. re. do.

Quæstio.

26 An idem de minoribus 25 annis? Minimè. Hi enim si curatores non habent, per se quidem res mobiles donare possunt: ita tamen vt irreuocabilis fiat hæc donatio, si maiores 25. annis facti ratam hæc donationem habuerint. l. 1. & 2. C. si maior factus rat. hab. At res immobiles omninò non possunt. Dn. Obrech.

27 Vxores res dotales nequidem consentiente marito donare possunt: quia lex Iulia donationem inhibet. tot. tit. C. & D. de fun. dot. 28 Res



28 Restamen paraphernales possunt. l. 6. C. de reuo. don. l. 8. C. de pact.

29 Alieni iuris sunt serui, qui iure ciuili donare non possunt l. 28. S. si filius aut seruus. D. de pact. Quia hoc iure nihil proprij habent: cum omnia qua acquirant, dominis acquirant, S. 1. Inst. per quas pers. Nisi forte infinita peculij administratio ipsis concessa sit. argumento, l. 1. S. 1. ff. Qua res pign.

30 In filiofamilijs plurimum refert, an rem peculiarem donet, an non peculiarem, sed propriam. In hac procedit donatio: at non in illa, nisi vel iusta ratione motus donet, vel infinitam peculij administrationem nominatim acceperit, vel ex persona qualitate tacite colligi possit, patrem cum libera administratione, simul ei donandi potestatem concessisse. l. 7. in princip. & S. 1. 2. 3. ff. h. tit.

31 Inter coniuges constante matrimonio donationes regulariter prohibita sunt. tot. tit. D. & C. de don. int. vi. & vxo.

32 Ratio ista, ne mutuo amore se spolient, & concordia maritalis precio conciliari videatur. l. 1. 2. 3. D. d. t. Vide Plutarch. in lib. Coniug. Præcept.

32 Si morte confirmationem accipiat, an valeat? Quid ni? l. 43. D. de don. mo. ca. l. 9. S. 2. l. 10. l. 11. d. t. Mynsing. 2. Obs. 33. Gail. 2. Obs. 91. Non. 162. vbi Cui ac. Questio.

32 Vbi tamen iuris interpretes non aliter liberalitates hasce confirmari adfirmant, quam si rei donata sit facta traditio. Questio.

33 Male. Certi enim hoc iuris, donationes inter virum & vxorem valere, si vsq; ad mortem durauerit voluntas l. 32. S. 1. & l. 33. D. d. t. Et vbi in iure istius solennitatis nota? Vide Coras. Misc. lib. 5. c. 1. Ant. Fabr. 1. Coniectu. 8. Dn. Obrech. hic.

34 Quid si iuramento sit confirmata donatio? Valet ex recepta opinione: at non valet ex legu perscripto. Quod ostendemus. Vide Gal. lib. 2. Obs. 40. Questio.

35 Ista tamen prohibitio non refertur ad eas donationes qua neq; donantem pauperiorem, neq; accipientem locupletiozem reddunt. l. 5. S. comissa. l. 7. S. si maritus. D. d. t. l. 17. C. Eod.

36 Quero: An vestes & ornamenta muliebria à marito vxori tradita, in dubio intelligantur donata. Distinguiamus inter quotidiana & præiosa secundum Gail. 2. obs. 91. Questio.

37 Quid de reciproca donatione inter coniuges, an ea valet? Iason in l. 41. De V. O. negat. Tiraq ni l. si vnquã. Verbo donatione n. 94. C. de reu. don. valere confirmat. Adprobat hoc Mynsing. Cent. 2. Obs. 33. Gail. 2. obs.

40 Menochius libr. 3. præsumpt. cap. 29. nu. 5. argu. l. 7. S. si vir ff. de



donat. inter vir. & vxor. Quod tamen ita intelligendum putamus, si ista reciproca donatio incontinenti fiat: secus si ex intervallo. argumentò l. 48. ff. de donat. inter vir & vxor. & Gail. d. loco.

38 Pater filio quem in potestate habet non potest donare. l. donationes quas. C. de don. in. vir. & vx. l. 2. C. de inoff. donat.

Quaestio.

39 Quid si verò pater adijciat iuramentum donationi? Cum iuramentum hoc rationes prohibitionis non tollat, frustra est. Castrens. cons. 345. n. 3. vol. 1.

40 Hæc de donatoribus. Donatarij consensus seu *Ανψωδοσία* accipientis est correlatiua causa, quæ ad constituendam donationem exigitur.

41 Ut enim ignorans & inuitus non dat: Ita nec ignoranti aut inuito donatur. l. 2. de act. S. alie. Inst. h. t. l. 35. S. fin. C. eod.

42 Non ignoranti: quia huius nullus consensus. Non inuito: quia inuito beneficium non datur. l. 69. D. de R. I.

Materia.

43 MATERIA donationis simplicis sunt omnes res quæ in commercium cadunt, siue sint corporales, siue incorporales, siue mobiles siue immobiles, l. 2. in pr. l. 9. in pr. D. h. t. l. 1. 2. 3. & l. 22. C. eod.

Quaestio.

44 An donatio inter viuos omnium bonorum presentium & futurorum valeat, queritur? Quidam ipso iure non valere existimant. Cla. 4. Sent. 19. Wesenb. para. hic n. 5. Valere aio. Coras. lib. 6. Misc. 17. Gail. 2. obseru. 11. n. 10. Goth. ad l. 9. in fi. h. t.

Quaestio.

45 Quaestio est: An Emphyteusin Emphyteuta, Vasallus feudum citra consensum Domini donare possit. Et non posse, verum puto. l. 3. C. de iur. Emphyt. c. vn. S. donare. quali. olim pot. seu. al. Mynsing. 6. obseru. 30.

Dubium.

46 Adfirmo & hoc, quod simplex vsus fructus sine proprietarij consensu nequeat donari. arg. S. fin. Inst. de vsuf. vbi Wesenb. n. 6. l. 66. de iur. dot. vbi Gloss.

Forma.

Accidental.  
alis.

47 FORMA simplicis donationis est duplex. Accidentalis, vt donatio fiat in scriptis. Non enim scriptura necessario requiritur. l. 29. l. 31. in fi. C. de donat.

48 Ad accidentalem quoq; formam donationis pertinet, quod donatio fit sub aliqua lege, vel conditione, vel modo.

Quaestio.

49 Hic queritur: An simplici donationi adijci possit conditio. Nos communi opinioni quæ adfirmat adsentimur, per l. 2. §. si pecuniam. D. h. t.

50 Hæc conditio tantum suspendit donationem: quia donatio non prius locum habet, quam conditio adiecta, sit impleta. Dn. Obrech.

51 Essentialis



51 Essentialis forma simplicis donationis est, ut donator simpliciter res suas animo donandi alteri tradat vel promittat, & à donatario acceptentur. *lis.*

52 Si tamen donatio 500 aureos excedit (a) insinuatio (b) siue relatio ad publica monumenta requiritur: qua omissa, quod superfluum est, non valet. c. a. S. 2. Inst. h. t. b. l. 34. in fi. l. 36. S. 1. & 2. C. eod. c. dd. H. 21. D. eod.

53 Non satis hinc constat, an aureus quo hodie ex generali omnium populorum consuetudine utimur veteri isti solido aureoq; legali successerit, ut quæ de solido iure civili cantasunt, ad nostrum aureum, quamuis leuioris sit ponderis, referantur. Vide Gail. 2. obseru. 39. *Quæstio.*

54 Hinc diuersæ Interpp. opiniones. Quidam donationem ad 600: alij ad 700: nonnulli ad 900: plures ad mille aureos seu ducatos valere opinantur. *Quæstio.*

55 Si consuetudo vel statutum aliquod apparet, seruari debet. Si non apparet, computatio ita facienda est, ut cum mente Iustiniani conueniat. Dn. Obrech.

56 FINIS donationum est liberalitas & munificentia. l. 1. D. h. t. l. 214. de V. S. l. 18. D. de adim. leg. *Finis.*

57 Donatio quæ fit fraude, odio, inhonesta adfectione vel lucri cupiditate, à vero donationis fine longè est. *Proprius.*

58 Quid si quis odio filij res suas donatione auertat: an reuocari donatio possit. Diuersæ sunt Sententiæ. Nos existimamus iure civili quidem reuocari non posse: arg. l. non vsq; ad eod. 2. D. si quis à par. manu. Quia tamen improbè facta est, rescindendam planè. Dn. Obrech. disputat. 3. de donation. thes. 20. & seqq. *Improprius.*

59 Donatione stupri vel alterius improbæ consuetudinis causa factam ius civile admittit. l. 5. D. de donat. Sed putamus licitè id quidem fieri, minus tamen honestè. Quia non hinc οὐκ ἔστι δόσιον, nec τὸ κατὰ ἐνέαν facta est. Imò qui ita donat, ἴσ dat οἷς μὴ δεῖ: quod veræ donationi repugnat. Aristot. lib. 4. Eth. cap. 1. *Quæstio.*

60 An verò si quis in fraudem creditorum alteri bona sua donat, ista donatio rectè reuocetur. Dicimus. l. 17. S. 1. D. quæ in fr. Cred. *Dubium.*

61 Effectus donationis sunt varij. Primus quod donator de euictione rei donata non teneatur. l. 18. in fi. D. de don. *Effectus.*

62 Alter effectus est, quod res donata repeti nequeat. l. 24. D. h. t. *1.*

63 Tertius est translatio dominij si traditio interuenit: vel efficax obligatio si tantum promissio est facta: necessitatè enim tradendi eam se habet ho- *2.*  
*3.*



bet hodie l. 1. 6. l. 19. l. 13. l. vlt. §. Titius. D. h. t. l. 17. l. 26. C. Eod. l. 3. l. 6. C. de  
reu. don. l. 35. §. fin. D. h. t. §. perficiuntur. Inst. Eod.

4. 64 Quartus est vsucapiendi conditio. Si enim donator rem alienam do-  
natario tradit: non potest eius dominium transferre: quia nemo plus iuris  
in alterum transferre potest, quam ipse habet. l. nemo. de R. I.

65 Vsucapiendi tamen conditionem transfert: quia donatarius rem alie-  
nam sibi donatam vsucapere potest. l. 18. §. 1. D. de donat.

5. 66 Quintus est, ut donator ex causa donationis conuentus non in solidum:  
sed in id tantum, quantum facere potest, condemnetur. l. 28. D. de R. I.

Repug- 67 Factam donationem quadam solvunt, vel ex parte, vel ex toto.

nantia. 68 Totam resolvunt duo: ingratitudo donatarij & superuenientia libro-  
rum donatoris.

69 Causa autem ingratitudinis iure ciuili sunt expressa quinque: In dona-  
torem facta atrox iniuria verbalis: iniuriosarum & violentarum manuum  
iniectio: grauis damni rebus eius illatio: vitæ periculi aut insidiarum creatio:  
& non impletio conuentionum in donatione appositarum. l. 1. l. pen. l. fin.  
Auth. Quod mater. C. de reu. don.

70. An præter istas etiam ob alias causas res donata reuocari potest?  
Non putamus. Dn. Obrech.

Quest.

71. Superuenientia liberorum post donationem ideo eam resoluit,  
quia donatio ab eo qui liberos non habet facta, tacitam hanc habet dona-  
tionem in se, si donans non suscepit liberos. l. 8. C. de reuo. don. quam re-  
cte etiam ad alium quemcumque, quam libertum transferri putamus à Cui-  
ac. 20. Obs. 5.

Quest.

72. Quid si viuo donatore liberi superuenientes decedant, an conualescit  
donatio? Distinctione rem explicat Mozius: cap. quom. annull. donatio n.  
90. quem sequimur.

73. Quid si donatio facta Ecclesie sit, an ea ob natiuitatem filiorum so-  
lum vsq; ad legitimam, vel in solidum reuocetur? Honestum est, ut ecclesia  
reddat bona sibi donata. Mynsing. 6. Obs. 95.

Quest.

74. Ardua hæc est questio: An pater beneficio d. l. si vnquam 8. renunci-  
are possit. In tanto Interpretum dissensu meum non est arbitrari. V. Godof.  
ad. d. l. Mozius d. loco Mynsing. 5. obs. 63. & 64. Gail. 1. Obser. 46. nō 13. Vi-  
detur tamen probabile esse patrem huic beneficio posse renunciare, partim  
quia lex hoc beneficium soli dat patri non liberis: partim vi tacite condi-

tionis



tionis, quam ex coniectura pietatis inducit, non favore liberorum. Cuiac.  
dicto lib. 20. obs. 5.

75. Quid si cum donaret liberos habuit? Non potest pretextu aliorum, qui *Quaestio*  
postea nati sunt, donationem reuocare vlllo modo. Godof. ad d. l. si vnquam.  
Cuiacus lib. 20. obs. 5.

76 An verò eius liberi? Planè. Siue ante siue post donationem nati sint, *Quaestio*  
reuocare possunt: verum non in totum, sed his succurritur per querelam in-  
officiosa donationis, quae res donatae non insolidum vt quidam existimant,  
sed ratione tantum legitimae reuocantur. (a) Vide Ant. Fabr. lib. 3. Con-  
sect. cap. 17. (b) Diss. Godof. ad d. l. si vnquam. Cuiac. 5. Obseru. 14. Bo-  
cerus. de donatione. cap. 3. nu. 5.

77 Pars donationis soluitur, si donatio quae excedit 500. aureos sine insi-  
nuatione facta est. Id enim tantum quod superfluum est, frustra est: Reli-  
qua quantitas, quae intra legis terminos constituta est manet. l. 34. C. h. t.

78. Haec de simplice donatione. Iam de RELATA.

79. Quae propterea relata dicitur, quia propter, liberalitatem absolute *De relata*  
non fit, sed in ea ad causam aliquam relatio & respectus habetur. *donati-*

80 Est autem actus, quo res aliqua sub causa in alterum donandi animo *one.*  
confertur.

81. Hoc fit vel ob causam mortis: vel ob aliam causam.

82. Mortis causa donatio est actus, quo donator mortis suae metu in alte- *De dona-*  
rum presentem rem aliquam eo animo confert, vt morte secuta eius sit *tionem mor-*  
Dn. Obrech. *tis causa*

83. Mortis causa donatio fit aut citra metum mortis presentis, sola  
mortalitatis cogitatione: aut in ipso periculo: Siue ita vt res statim acci-  
pientis fiat: Siue tum demum si mors insecuta fuerit. l. 2. D. de don. mor.  
causa.

84. Causa efficiens remota est ius gentium, vel etiam ciuile, quatenus  
ciuilis modus acquirendi dominij constituitur.

85. Donare verò mortis causa potest omnis is, qui testamentum facere.  
l. 25. in pr. D. h. t. Quia donatio causa mortis vltima voluntati compara-  
tur. l. vl. C. Eod.

86 Filius tamen familas testamentum facere nequit: at mortis causa  
donare potest. l. 16. D. qui test. face. d. l. 25.

87 An sine patris consensu? Alij filios. concedunt vt bona aduentitia, quae *Quaestio*  
pleno iure ad ipsum pertinent donare possit. Communis interpretum schola  
repugnat: quam nos sequimur. *A 5 88 Sub-*



88 Subiectum mortis causa est donatarius: quia in hoc donatio subsistit.

89 Donari autem omnibus potest, quibus & legari l. 9. l. 35. in pr. D. de mor. ca. don. Quia donatio causa mortis legato comparatur. l. vl. C. h. t.

90 Legari verò illis solum potest, cum quibus testamenti factio est, saltem passiva. §. legari. Inst. de leg.

91 Materia huius donationis eadem est, quae donationis simplicis.

Quaestio. 92 An autem hereditas mortis causa donari potest? controuersia est. Non posse putamus. Cum enim nulla sit viuentis hereditas: nulla quoque in donationem venire potest: cum non entis nulla sint accidentia. Dn. Obrech.

93 Forma donationis mortis causa est, vt donator ratione mortis suae alteri praesenti, in praesentia quinq; testium, vel actis interuenientibus, donandi animo det, vel promittat aliquid.

94 Sex ergò ad donationem mortis causa requiruntur. Dn. Ob. Primum est, vt fiat causa mortis. Si enim nulla est mortis facta mentio, donatio potius inter viuos, quam mortis causa praesumitur.

95 Alterum, vt fiat ratione propriae mortis. Si quis enim ratione alienae mortis donat, id non mortis causa donatio, sed mortis causa capio appellatur. l. 31. l. 38. D. h. t.

96 Tertium, vt fiat à praesente praesenti. Idque siue stipulatione siue traditione donatio fiat. Dn. Ob.

97 Quartum, vt donator alteri det vel promittat aliquid. Fit enim haec donatio vel traditione vel stipulatione.

Quaestio. 98 An etiam pacto? Non videtur.

99 Quintum est animus mortis causa donandi.

100 Sextò haec donatio fieri debet in praesentia quinq; testium vel actis interuenientibus.

101 Quinq; testes necessarij sunt, quia comparatur vltimae voluntati, in qua ad minimum quinq; testes requiruntur. l. vlt. C. de codicil.

102 Actis verò interuenientibus nulli requiruntur. arg. l. 31. C. de don.

103 Finis est cogitatio teus metus mortis: vel periculi: l. 2. D. h. t.

104 Per accidens verò liberalitas huius donationis finis est, cum donator hanc non per se & principaliter, sed propter mortis vel periculi interuentum respiciat.

105 Effectus varij. Primus est translatio dominij. Sicut enim hoc fit in legato l. 2. C. de leg. Ita quoque in mortis causa donatione: quia haec legato comparatur. d. l. vlt. C. h. t.

106 Alter



106 Alter effectus est vsucapiendi conditio. Nam si res aliena donata mortis causa fuit, ea à donatario vsucapi potest. l. 13. l. 33. D. h. t.

107 Tertius est, quod res donata, insecuta morte rata maneat: quia impletur conditio est perfecta. l. 32. D. Eo.

108 Quartus, ut non secuta morte reuocari semper possit.

109 Quintus, ut in mortis causa donatione idem ius locum habeat, quod in legato.

110 Reuocatur autem donatio poenitentia: & lege Falcidia minuitur: & si res tradita non sit à donatore interdicto Quod legatorum continetur. Cuiac. 8. Obs. 2. & 10. Obs. 28.

111 Sequitur altera relata donationis pars quae fit ob aliam causam.

112 Est autem actus, quo sine conditione mortis, ob causam nuptiarum, vel extra hanc, ob aliam causam res aliqua ab altero in alterum confertur. Dn. Obr.

De dona-  
tione rela-  
ta, quae fit  
non mor-  
tis causa.

113 Fit haec vel nuptiarum causa: vel ob remunerationem.

114 Donatio nuptiarum causa facta vel est sponsalitia largitas: (a) vel donatio propter nuptias: (b) vel dotis constitutio: de quibus aliàs a. l. 4. C. de sec. nup. Nou. 22. cap. 18. & 20. b. Cuiac. in parat.

115 Remuneratoria donatio, vel fit ob praeteritam causam vel ob futuram l. 34. D. de donat.

116 Heic quero: An donatio remunerato ri inter patrem & filium subsistat? Interpretum communis est opinio, quod ob benè merita pater filio donare possit. Clar. lib. 4. sent. S. donatio. q. 8. Quaestio.

117 Nos hanc opinionem improbamus: quia nulla considerari possunt merita filij quae mercede & compensatione digna sint. Vide Dn.

Obrech. in disput. de non mortis causa relata dona-  
tione. thesi. 159. & seqq.

E I N I S.











